Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1079
Quelle:
Copyright:

fuit, *Cluniacensis* dictus, quod tunc cum Suis *Cluniacensium* ritus sequeretur. C. 1. incipit: *Uenerabili patri Guillelmo Frater Bernardus fratrum qui in clara valle sunt inutilis seruus salutem in domino. Usque modo si qua me scriptitare iussistis* &c. Extat edit. *cit.* T. II. *col.* 527. ubi tamen *praefatiuncula* legitur, quae a *Cod.* nostro abest, qui *Capp.* minoribus XLV. constat, cum in edit. non nisi XIII. prolixa censeantur. Finis est: *Quod ut nobis a uobis semper fiat omnino precor et supplico. Valete.* Simultates et aemulationes pravas non raro ex diversis ejusdem Ordinis religiosi reformationibus pullulasse testis est cum reliqua Historia monastica et praesens *Apologia*, in qua an sagax *Bernardus* capram et caules, ut fert proverbium, servaverit, Lector partium studio liber dispiciat.

V. *fol.* 107. absque titulo F. *Rainerii Sacconi* Itali *Placentini*, Sectae *Waldensium* et *Catharorum* primum Antistitis, dein O. P. et Quaesitoris fidei, circa an. 1258. *Mediolano* a *Turrianis* in exilium acti, ut pluribus habes in *Scriptt.* O. P. T. I. p. 154. *Opusculum contra Waldenses* X. *Capp.* constans, quod primus e *Cod.* mss. protulit doctissimus *Jac. Gretserus Ingolstadii* 1614. 4. unde in *Bibliothecas PP.* transiit, et T. XXV. *Lugdunensis* p. 262. legitur. Prologi initium est: *Audistis quia antichristus venit* &c. et paullo post: *Ego frater Reinherus olim heresiarcha, nunc dei gracia sacerdos in ordine predicatorum licet indignus hoc opusculum de hereticis compilaui* &c. Retractatum ab illo vel alio fuisse hunc laborem, et in aliam formam transfusum *Codices* testes sunt, qui in supracit. *Scriptt. O. P.* adferuntur, interpolatum vero ab homine germano, et quidem *Austriaco*, nomina locorum, in quibus Sectarii coetus suos habebant, ad calcem C. 3. evincunt, quorum aliqua in *Bibl. Lugdun.* perperam impressa hic emendare lubet adhibito T. II. *Scriptt. Rer. Austr. Hier. Pezii* p. 536. quo loco paene idem recensus occurrit. Strouizingen lege *Stretzing.* Leuuhs l. *Leubs.* Dansteten l. *Amstetten.* Spunelburch l. *Sündelburg.* Sirnich l. *Sierning.* Wezsenskirchen l. *Weizenkirchen.* Ehemmenaten l. *Kematen.* Briezkirchen l. *Grieskirchen.* Ackergeuu l. *Attergäu* vel *Abergäu* &c. Eidem Interpolatori tribuenda videtur *Raynerii* Appendix, quae in *Bibl. Lugd.* perpetua decurrit; in *Cod.* vero nostro his Rubricis distinguitur: *De yppocrisis* (Hypocritis) *qui dicuntur sterczer. Examinacio leoniste heretici. Discordancia et discrepancia* (Eccl. Orient. et Occid.) *Que sit fides kathari.* Nam in hac quoque teutonica leguntur vocabula, ut ipsum nomen *Sterzer*, quod vulgi lingua *otiosum Vagatorem* notat, ut bene observat Cl. *Adelungius* in *Lexico*, cui tamen non innotuit, fuisse olim Sectarios, qui peculiari hoc nomine designarentur. Item

Schylt-